



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674


Diploma Quo Maximilianus II Imperator Academiam Juliam condidit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

DIPLOMA QVO
MAXIMILIANVS II
IMPERATOR

Academiam Juliam

condidit.


MAXIMILIANVS SECVNDVS, Di-
 vina favente clementia, Electus Romano-
 rum Imperator semper Augustus, ac Ger-
 mania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia,
 Croatia, Slavonia, &c. Rex, Archidux
 Austria, Dux Burgundia, Brabantia, Stiria, Carinthia,
 Carniola &c. Marchio Moravia &c. Dux Lucenbur-
 gia, ac superioris & inferioris Silesia, VVirtembergæ &
 Teckæ, Princeps Suevia, Comes Habsburgi, Tirolis,
 Ferretis, Kyburgi & Goritia, Landgravius Alsatia,
 Marchio sacri Romani Imperii, Burgovia, ac superioris
 & inferioris Lusatia, Dominus Marchia Slavonica,
 portus Naonis & Salinarum &c. Notum facimus te-
 nore literarum presentium universis & singulis. Cum
 imprimis ad hanc Romani Imperii sublimitatem Divino
 auspicio provecti, diligenter prospicere debeamus, ut sci-
 entia & bonarum liberaliumq; artium studia sedulo exco-
 lantur, feliciaq; semper sumant incrementa, ex quibus ni-
 mirum tanquam Divinae sapientia hausto fonte, subditi
 clientesq; nostri, ad gubernandam Rempublicam, & reli-
 quis mortalium necessitatibus prospiciendum, reddantur
 aptiores: praesertim cum earundem bonarum literarum tu-
 tela & patrocinium ad Caesarei culminis fastigium, ejusq;
 moderatores potissimum pertineat. Qui etiam ipsarum
 cultores & Professores dignis premiis, honoribus atque
 privi-

privilegiis afficientes, complura Gymnasia in sacro Romano Imperio instituerunt & erexerunt. Nos igitur prædecessorum nostrorum vestigiis insistentes, petitione Illustris IV LII, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, consanguinei & Principis nostri charissimi, nec non & omnium Statuum ejusdem Ducatus, per peculiare eorundem Legatos, nostros & sacri Romani Imperii fideles dilectos, Henricum à Lube, & Matthiam Böttiger, dicti Principis consiliarios, nuper exhibita, qua continebatur, ut ad præfatorum studiorum liberalium & bonarum artium incrementum, Collegium Scholamq. in civitate sua hæreditaria Helmstat, à se cæptum & institutum, auctoritate nostra Cæsarea confirmare, atq. juribus, privilegiis & immunitatibus Studii Vniversalis seu Gymnasii communire, adeoq. illi Scholæ Iuliæ nomen facere dignaremur, permoti; atq. ad animum revocantes multa præclara & singularia merita, quæ præfatus consanguineus & Princeps noster, nec non & parentes & antecessores ipsius ex illustri Ducum Brunsvicensium familia Nobis & Antecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus, & Imperio, nec non inclytæ Domini nostræ Austriacæ, sæpius fideliter exhibuerunt & præstiterunt: Considerantes etiam, quod præfata civitas non modò propter loci oportunitatem instituendo Gymnasio commoda, tum & incolis & finitimorum locorum habitatoribus Studium Vniversale ad excolendam numerosam juventutem, cum primis
neces-

necessarium sit: maturo procerum aule nostræ Cæsareæ habito consilio, animo benè deliberato, ex certa scientia & motu proprio, auctoritate nostra Cæsareæ, & ex plenitudine potestatis, præmemoratum Collegium à dicto consanguineo & Principe nostro in civitate Helmstat nuper captum & institutum, confirmavimus, adeoq̄ de novo in Studium Generale & Universitatem publicam ereximus; prout tenore præsentium confirmamus, & de novo instituímus & erigimus.

Volentes & dictâ Cæsareæ nostræ potestatis & auctoritatis plenitudine decernentes, quod ea ipsa Schola in Helmstat in posterum Gymnasium Vniuersale esse, & ab omnibus sic haberi, diciq̄ Schola Iulia debeat: Et Doctores quarumcunq̄ Facultatum & personæ idoneæ, ad id per dictum Ducem ejusq̄ Successores, vel quibus illi demandaverint, deputandæ, possint & valeant in præfata Vniuersitate in omnibus Facultatibus, videlicet, in sacra Theologia, in utroq̄ Jure tam Canonico quam Civili, in Artibus & Medicina, nec non in Philosophia & quibuscunq̄ scientiis legere, & lectiones disputationes & repetitiones publicas facere, conclusiones palàm proponere, & præfatas scientias docere, interpretari glossare & dilucidare, omnesq̄ actus scholasticos exercere, eo modo ritu & ordine, qui in cæteris Vniuersitatibus & Gymnasiis publicis, observari solitus est. Et quoniam ipsa studia eò feliciori gradu sument augmentum, si ingeniis & disciplinis ipsis
suis

suus honor, suus dignitatis gradus statuatur; ut emeriti a-
 liquando digna laborum suorum præmia reportent: statui-
 mus & ordinamus, ut per Collegia Doctorum à prænomi-
 nato Illustri Duce in unaquaq; Facultate instituenda, do-
 ctis & ad idoneis, & præ cæteris excellentioribus in ipsis
 Facultatibus Doctoribus, hi qui ad sumendam palmam cer-
 taminis sui idonei iudicati fuerint, adhibito per ipsos Do-
 ctiores Collegii in unaquaq; Facultate, prius pro more &
 consuetudine atq; solennitatibus & ritu in cæteris Vniuer-
 sitatibus adhiberi solitis, riguroso & diligenti examine,
 in quo conscientias ipsorum Doctorum cujuslibet Collegii
 onerari volumus, quos sub juramenti vinculo ad hoc a-
 stringimus in ea Facultate quam edidicerint, & qui exa-
 mini præfato se submiserint, & se pro more & juxta sta-
 tuta & ordinationes per prænominatum Ducem fiendas,
 per aliquos dignos & honestos viros de gremio ipsius Colle-
 gii præsentari fecerint, possint ad ipsum examen admitti,
 & invocata Spiritus Sancti gratia examinari: & si hoc
 modo habiles idonei & sufficientes ad id reperti & judica-
 ti fuerint, Baccalauri, Magistri, Licentiati sive Docto-
 res, pro uniuscujusq; scientia & doctrina creari, & hujus-
 modi dignitatibus insigniri, nec non per bireti impositio-
 nem, & aurei annuli ac osculi traditionem, cæterisq; con-
 suetis solennitatibus investiri, & consueta ornamenta atq;
 insignia Dignitatum prædictarum tradi & conferri.
 Quodq; Doctores in eadem Vniuersitate promoti & promo-
 vendi debeant & possint in omnibus locis & terris Sacri

Imperii Romani, & ubiq; terrarum, liberè omnes actus Doctorum, legendi docendi interpretandi & glossandi, facere & exercere, omnibusq; & singulis gaudere & uti privilegiis, prerogativis & exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, præeminentiis, favoribus ac indulgiis, quibus ceteri Doctores in Bononiensi, Senensi, Patavino, Papiensi, Perusino, Parisiensi ac Lipsensi, & aliis Studiis privilegiatis, promoti ac insigniti gaudent & utuntur de consuetudine vel de jure. Ceterum quò præfata Universitas sive Gymnasium suis gubernatum magistratibus, solidiori & firmitiori consistat fundamento, damus & concedimus Doctoribus & Scholaribus in dicta Universitate existentibus aut futuris, cum consensu præfati Ducis aut successorum ejus, auctoritatem & potestatem concedendi & faciendi statuta & ordinationes, juxta consuetudinem cæterarum Universitatum, nec non creandi & eligendi Rectorem Scholarum & Syndicos, sive alios quoscunq; officiales Universitatis, prout ipsis visum fuerit expedire & esse oportunum. Hoc saltem in hac primæva erectione pro majori illustratione hujus Gymnasii addito, ut quemadmodum ipsum Imperiali culmine & auctoritate primordia sumsit, & à Ducali nomine appellationem accepit, sic etiam Reëtoralis dignitas ab Illustri HENRICO IV LIO, Duce Brunsvicense & postulato Episcopo Halberstadense, sepediti Iulij filio, quem primum Reëtorem eidem assignamus, celebre & felix auspiciam habeat. Dantes & concedentes dicta auctoritate nostra Imperiali jam
per

per nos designato, nec non & in posterum, ut præmittitur, eligendis & creandis Rectoribus, non modo facultatem & Jurisdictionem in scholasticos, citandi, audiendi, judicandi, exequendi, puniendi, & omnes alios actus Iudicis ordinarij exercendi, & jus reddendi: Atq; eximentes nihilominus Doctores & scholares Vniuersitatis prænominatæ à jurisdictione & superioritate cujuscunq; potestatis ordinarij, siue cujuscunq; alterius præterquam à nostra & præfati Ducis & successorum ejusdem: Sed etiam jam dictum HENRICVM IV LIVM, per nos designatum primum Rectorem, ejusq; in illo officio & dignitate in posterum eligendos, ex speciali gratia & favore, sacri Lateranensis Palatii Auleq; nostræ & Imperialis Consistorij Comites facimus, creamus, erigimus, ac Comitatus Palatini titulo atq; dignitate clementer insignimus, aliorumq; Comitum Palatinorum numero cætui & consortio ascribimus adjungimus & aggregamus. Decernentes & statuentes, quod universo illo tempore, quo dictæ Dignitati Rectoratus præsent, vel præfuerint, omnibus & singulis Privilegiis, gratiis, juribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus & libertatibus, uti, frui, potiri, & gaudere possint & valeant, quibus ceteri Lateranensis Palatij Comites hætenus usi potiti & gavisifunt, seu quo modolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, consuetudine vel de jure. Dantes & concedentes illis plenam facultatem & potestatem, quod durante Rectoratus & administrationis eorum tempore, ut præmittitur, nostra autoritate possint &

valeant, per totum Romanum Imperium, Regna & Domi-
 nia nostra hereditaria, ac aliàs ubilibet terrarum & loco-
 rum, facere & creare Notarios publicos seu Tabelliones, ac
 iudices ordinarios: ac omnibus personis, quæ fide dignæ ha-
 biles idoneæ & sufficientes fuerint (qua in re conscientias
 ipsorum oneramus) Notariatum seu Tabellionatum & judi-
 catus ordinarij officium concedere & dare, eosq; ac eorum
 quemlibet de prædictis officiis per pennam & calamarium,
 prout moris est, investire. Recipiendo ab ipsis Notariis
 publicis seu Tabellionibus & iudicibus ordinariis per eos, ut
 præmittitur, creandis, & ab eorum quolibet, vice ac nomi-
 ne Nostro & Sacri Imperii, & pro ipso Romano Imperio, de-
 bitum fidelitatis corporale & proprium juramentum. In
 hunc videlicet modum: Quod nobis ac Sacro Romano Im-
 perio, & omnibus successoribus nostris Romanorum Impe-
 ratoribus, & Regibus legitimè intrantibus fideles erunt,
 nec unquam interfuturi consilio, ubi nostrum periculum
 tractetur, sed bonum & salutem nostram defendent & fi-
 deliter promovebunt, damna verò & incommoda sedulò
 cavebunt & avertent; præterea instrumenta publica &
 privata, ultimas voluntates, testamenta, & quæcunq; ju-
 dicialium acta, literas matrimoniales, ac omnia & singula
 alia, quæ illis & cuilibet illorum, dicti officii ratione faci-
 enda vel scribenda occurrent, justè purè fideliter, omni
 simulatione machinatione falsitate dolo ac fraude remo-
 tis, scribent, legent, facient, & dictabunt; non observando
 odium, amicitiam, munera, pecuniam, vel quascunq; alias
 passio-

passiones aut favores: scripturas verò in formam publicam redigendas, pro locorum consuetudine & rerum qualitate, in membranis aut chartis mundis, non abrasis seu vitiosis, fideliter conscribent ac conscribi facient; causasq; hospitalium ac miserabilium personarum, nec non pontium & viarum publicarum conservationes & instaurationes pro viribus promovebunt; sententias aut dicta testium, donec publicata fuerint & approbata, sub secreto fideliter retinebunt; omniaq; & singula alia convenienti & debito modo facient atq; exercebunt, quæ ad dictum officium quomodolibet pertinebunt, consuetudine vel de jure. Volentes, quod hujusmodi Notarij publici, seu Tabelliones & judices ordinarij per eos creandi, liberè possint per totum Romanum Imperium, omniaq; regna & provincias nostras hereditarias, ac aliàs ubivis terrarum & gentium, facere, concipere, scribere & publicare contractus, instrumenta, judiciorum acta, literas matrimoniales, testamenta & ultimas voluntates, decretumq; & auctoritatem interponere, in quibuscunq; contractibus tale quippiam requirantibus, omniaq; & singula alia citra impedimentum facere & exercere, quæ dictum publici Notarij seu Tabellionis & judicis ordinarij officium quovis modo exigere videbitur. Decernentes, quòd omnibus & singulis instrumentis ac scripturis, per hujusmodi Tabelliones seu judices ordinarios & Notarios publicos, per præfatos Rectores Scholæ Julię creatos & creandos, confectis & conficiendis, plena & indubia ubiq; fides, tam intra quàm extra judicium, adhiberi debeat, eaq; nullo modo impugnari vel in dubium trahi possit, constitutio-

nibus, ordinationibus, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque.

Præterea ut ipsa Universitas dignis fulcita prærogativis, nulli alteri, quantumvis vetustæ & celebratæ Universitati postponatur, sæpè dictæ scholæ Iulie, & singulis in ea constituendis Facultatibus, ex singulari gratia, peculiaria arma & insignia, quibus in publicis scriptis, edictis, mandatis aliisque actibus, loco sigilli uti possint & debeant, contulimus, prout alio nostro desuper confecto datoque speciali privilegio, latius continetur. Atque insuper volumus & decernimus per præsentis, quod prænominata Universitas, nec non Doctores & Scholastici, ac ibidem aliquam dignitatem seu gradum assumentes, gaudeant & potiantur, uti frui gaudere & potiri possint & valeant, omnibus & quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, præemiis, prærogativis, privilegiis, concessionibus, & immunitatibus, favoribus & indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Universitas Bononiensis, Senensis, Patavina, Papiensis, Perusina, Parisiensis & Lipsensis, ac alia Studia Privilegiata, ac Doctores & Scholastici, sive promoti, aut alia dignitate sive gradu insigniti, gaudent & potiuntur, quomodolibet consuetudine vel de jure. Non obstantibus aliquibus Privilegiis, indultis, prærogativis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus & singulis, ex certa nostra scientia præfata, animo deliberato, & motu proprio, derogamus & derogatum esse volumus per præsentis. Nulli ergò omnino ho-

minum

minum liceat, hanc nostræ creationis, institutionis, fundationis, erectionis, indulti, gratiæ, derogationis, constitutionis, concessionis, & Privilegii gratiam (quam singulis anni publice in dicta Schola *IVLIA* prælegi volumus) refringere, aut quovis ausu temerario contraire, sive quomodolibet violare & infringere. Si quis autem hoc attentare præsumserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, & pœnam centum marcharum auri puri, toties quoties contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursum: quarum medietatem Imperialis fisci nostri sive ararii, reliquam verò partem injuriam passorum usibus, decernimus applicari. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cesarei appensione munitarum. Datum in arce nostra Regali Prage, Die 9. Mensis Maji, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo quinto. Regnorum nostrorum, Romani decimo tertio, Hungarici duodecimo, Bohemici vero vicesimo Septimo.

MAXIMILIANUS.

Vice ac nomine Reverendissimi D. Danielis
Archicancellarii Moguntini

V. Jo. Bap. Weber

Ad mandatum Sacre Cesæ: Majestatis proprium

A. Erstenberger Ist.

JOACHI.